UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

37. De mixtura Celeritatis cum suauitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

De Mixtura Celeritatis cum Suauitate.

CAPVT XXXVII.

Gorgon. animal.

ALexander Myndius, poetarum ſigmenta miſſa faciens, Gorgona animal eſſe ait quoddam Libyæ, quod viſu perimat, ſi quem diſcuſſa iuba aſpexerit; quod poetarum fabulis locum dedit, qui Gorgonas, Phorcyos & Ceti filias terribili aſpectu finxerunt. Ex eo γοργο-ὀφθαλμοι dicuntur trucibus oculis præditi, qui διάπυρον πολὺ καὶ ἴδιον habeant. Talis Hector memoratur ab Homero. Γοργοῦς ὄμματ' ἔχων ἠδὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος. Ab oculis translatum eſt à ſtylo. Nam ſtylus γοργὸς appellatur, volubilis, & celer, qui ad pulchritudinem orationis conducit vel maximè. Nam cum ſuauitas mollem illam, & pellucidam orationem faciat, ne quid peccet mollitie, γοργότης præbet, & vim quandam vegetam inſpirat. Sicut igitur corporis pulchritudo lenta quædam, & prorſus muliebris non placet, ſed vt quæ in viragine Atalanta, apud Ælianum trucis aliquid habeat ſuauitatis: ſimili profectò ratione, ſi totus ſtylus ſumma teneritudine molleſceret, nihil haberet dignitatis: quo fit, vt vibratis ſententiolis acuendus ſit, & diſtinguendus, & hoc τὸ γοργὸν καὶ ἐναγώνιον nominatur. Tale eſt illud Demoſt. Νὴ Δία κακοδαίμονες γὰρ ἄνθρωποι, καὶ ὑπερβάλλουσιν ἀνοίᾳ πάνυ γε. ἀλλ' ὅμως δεῖ σώους αὐτοὺς εἶναι· συμφέρει γὰρ τῇ πόλει. Miſeri profectò ſunt, & ingrati homines, & vehementer ſtulti, ſane quidem: verumtamen eos incolumes eſſe oportet, nam vtile eſt ciuitati. Vides, vt hæc oratio ſuauitatem habet, cum volubilitate coniunctam.

Hector. Hom. Ιλ. θ.
Stylus. γοργὸς, & γοργότης: κάλλ@ ἀλ-μυρὸν καὶ ἐναγώνιον.
Plut. ſymp. lib. 8 q 8
Pulchritudo lenta.
Oratio cum forma confertur.
Demoſth. περὶ ſτεφ. γοργότητ@ exempla.

D. Hier. ad Helio.

Hæc virtus clariſsima eſt in D. Hieronymo. Quid hoc loco γοργότερον, Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat: licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur: magnos hic campus montes habet. Intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis, expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antennæ figatur in frontibus tranquillitas iſta, tempeſtas eſt. Simile eſt illud Virgilij:

Virg. 4. Æn.

Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.

Conſtat autem, vt apparet, acutis ſententijs, verbis floridis, & inciſorum crebra volubilitate.

De acrimonia, & acuto.

CAPVT XXXVIII.

Acrimonia quid, & eius exempla.
Cicero de orat.

HVic virtuti affinis eſt acrimonia, quod eſt acutum, vellicans; quale eſt illud Craſsi in Lamiam deformem: audiamus pulchrum puerum. At ille acutè retorſit, vultum mihi fingere non potui, mores potui. Item Virgilij:

Virg. ecl. 3.

Cantando tu illum, aut vnquam tibi fiſtula cera
Iuncta fuit.

Demoſt. περὶ ſτεφ.

Plena eſt hoc dicendi genere oratio περὶ ſτεφάνου, contra Æſchinem; ἡ μήτηρ σου τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις ἐν τῷ κλισίῳ τῷ πρὸς τῷ Καλαμίτῃ ἥρωι χρωμένη, τὸν καλὸν ἀνδριάντα καὶ τριταγωνιστὴν ἄκρον ἐξέθρεψέ σε. *Mater tua in porticu, aut cliſio, cum Calamite heroe diurnas nuptias celebrans pulchram ſtatuam, & tertiarum actorem partium ſummum te educauit; & illud in ambiguo.*

Sueto. in Nerone.

Quis neget Ænea magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Alia ſunt acumina grauia, quæ & hoc genus elaboratæ orationis maximè venuſtant, quibus affluunt Senecæ controuerſiæ. Sed & Patres; vt D. Ambroſius, & D. Auguſtinus, hoc dicendi genus conſectati ſunt. Sic D. Ambroſ. lib. de virginibus, de ſancta Agnete. Fuitne in illo corpuſculo vulneri locus? & quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret? Nunc furentis mucroni militis totũ offert corpus, mori adhuc neſcia, ſed parata, & nouum martyrij genus, nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ; certare difficilis, facilis coronari, magiſterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis.

D. Ambr. de virgin.

De methodo ſuauitatis.

CAPVT XXXIX.

Suauitatũ methodus quibus rebus conſtet.

HÆc ſuauitatis virtus ſpectatur, vt cæteræ, in rebus, verbis, & ſtructura verborum. Quinque ſunt, quæ in rebus pariunt ſuauitatem; inuiſa, inaudita, noua, ad ſummum quæ permotionem afferunt, & moratè ſunt dicta. Noua dixi, & inaudita, idcircò res omnes fabuloſæ placent, quibus, & ſummi auctores nonnunquam ſtylum ad aucupium voluptatis aſpergunt. Tale eſt illud Platonis.

Plato in conuiuio.

Ὅτι

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN